

Rector Academiæ Fran-
cofurtanæ

M. CALEB TRYGOPHORVS
LOGICES PROFESS. PVBL.

ad exequias luctuosas

quas

Reverendus nobilis & Clariss. vir

Dn. ANDREAS VVENCELIUS S.
Theol. Doctor, Ecclesiæ Pastor, &
vicinarum Superattendens

Fœminæ nobilissimæ

Vxori suavissimæ

'ANNAE CAMPZIAE

ex nobili & pervetusta Campziorum familia nata,
jam IN CHRISTO Beata;

parabat honorificè,

a. d. vii. Eid. Decemb.

Omniū Academiæ

ordinum

Cives invitat

Typis Sciurinis.

ANNO M. D. IC.

Biogr. erud.

D. 1693, 4

Vitt. Erud. fons — Not Wien —

Referat über die

M. G. A. L. E. H. J. Y. O. G. H. O. R. N. S.
L. O. R. T. H. E. R. D. O. P. P. E. R. Y. A. R. I.

D. O. A. N. T. E. A. S. V. E. N. G. E. L. L. I. V. S.
E. T. O. L. I. B. R. A. R. I. A. S. P. A. R. T. I. S.

U. N. I. V. E. R. S. I. T. A. T. I. S.

U. N. I. V. E. R. S. I. T. A. T. I. S.

C. I. T. A. T. I. S.

T. Y. P. I. C. A. S.

V. I. D. E. O.

Rektor Academiae Francofurtanae.



Vod Comicum illum Graecorum veterem dixisse notavit Athenæus: τὸ κακὸν τῶν ἰερωῶν διπλαζεται: ærumnam duplicari viris piis: id cum oraculorum cælestium veritate, tum exemplorum perpetuitate, ita confirmari intelligimus; ut verius à Poëta, certius ab Ethnico dici vix quicquam potuisse arbitremur. Ita enim Psaltes etiam regius: Multa inquit, sunt mala Iusti: quasi una non satis affligat, non altera & altera, sed multis insuper tribulationum procellis exercendi sint pii, ut frequentiore usu solidentur, pericula periclitandi assiduitate contempnant, & sub adversis fiant durabiliores, & ad quævis acerba paratiores: quemadmodum nautica corpora ferendo mari dura sunt; agricolis manus triatæ; ad excutienda tela militares lacerti valent, & agilia sunt membra cursoribus; nec arbor solida & fortis est, nisi in quam frequens ictus incurfat, quæ vexatione ipsa constringitur, & radices certius figit. Quis nescit, sanctissimis illis Ecclesiæ Patriarchis toties auctam fuisse calamitatem, quoties auctus annorum numerus? quis dubitat ad unam accessisse tempestatem alteram? Ne de peregrinationibus loquar miseriarum omnium indicinis: nonne ad illas insperati quandoq; accesserunt familiarium obitus? nonne Lotho in fuga inter Sodomæos bona relinquenti, uxor etiam fuit amittenda? quæ iuxta Cypriani versus,

In fragilem mutata salem stetit, ipsa sepulchrum,

Ipsaq; imago sibi formam sine corpore servans.

nonne exuli Abrahamo Sara? Iacobo adhuc oberranti Rachel extincta est? an putabitis Iosephum, Mosen, Davidem, & quotquot sanctorum occurrunt nomina, cum uno adversitatum genere conflictatos? agmen quoddam afflictionum contra ipsos eductum, quo cum pugnarent, non vincendi sed victuri, non conterendi sed contrituri. Ut enim solers artifex margaritarius facile patitur Indicum adamantem percuti, gravibusq; contundi ictibus, quoniam scit, malleum potius & incudem esse vulnus accepturam quam adamantem;

Sic DEVS vero virtutum splendore fulgentes in multas patitur eva-
 dere calamitates, quoniam videt, eos stabiles futuros, & adversa ci-
 tius ipsis recessura. Non mirabimur ergo, jactuose improbos felici-
 tatem efferre suam; actuose pios conditionem testari suam, & tri-
 bulationum pluviis virtutum semina erigere: non mirabimur un-
 quam, sacrorum Præstites variis tentari vexariq; doloribus: non
 tentari, & velle tamen piorum non modo usurpare nomen, at illo-
 rum etiam ducere familiam, id vero semper mirabimur. In illorum
 numerum, quos calamitas notæ arguit probioris, aggregavit Supre-
 mus ille rerum humanarum arbiter, Reverendum & Excellentissi-
 mum virum, doctrina & virtute nobilem Dn. ANDREAM VVEN-
 CELIVM S. Theologiæ Doctorem; Ecclesiæ inter nos Pastorem
 Collegam, Compatrem, & amicū nostrum carissimum: quem
 non satis erat Antimachus sacri ordinis quotidianis exerceret mo-
 lestiis, laboribus & doloribus; nisi ad domesticam etiam tot anno-
 rum ærumnam, morbum nempe uxoris Chronicum, accessio dolo-
 ris facta esset tanta, quantam alteri etiam cordato afferre potest tri-
 stis vulneratio, & illa corporis à corpore animi ab animo luctuosa
 direntio. Ab amicis, à familiaribus, à necessariis divelli quam mise-
 rabile? quæ sententia Aristotelis: *ἐλεανὸν διασῶσθαι ἀπὸ τῶν φί-
 λων καὶ τῶν συνήθων*: ab uxore, à corporis sui costa, ab animi parte
 altera distrahi nunquid non longè miserabilius? ei præsertim, quem
 nec cognatorum vicinia, nec propinquorum aut affinium frequen-
 tia; uxoris unius solari visa est præsentia: ei, qui sibi non vitæ dun-
 taxat, at fidei ipsius Christianæ sociam, virtutum æmulam, pietatis
 nutrice, tentationum spiritualium victricem, domi esse gaudebat;
 qui, quod Hieronymus de Marcella, Fulgentius de Galla, Augusti-
 nus de Proba & Paulina, idem de uxore sua præconium institui pos-
 se agnoscebat: tantèq; habebat cariorem, quantò rerum sacrarum
 illa studiosior, humanarum erat obliuiosior. Verum enimverò, ut
 apis ex amarissimo thymo mel conficit suavissimum: ita ex tristissi-
 mo hoc luctu utilitatis aliquid paulò post sedatior sentiet mærentis
 animus, & in quo facilè conquiescat, Nepenthes inveniet: quando-
 quidem verissimum illud Nazianzeni. *οὐδ' ἐν εὐρεϊκῶτερον τῆ πάχαρι*
 & hoc non incognitum:

LVX, vbi Crux: qui fors hanc invenit, invenit illam. In-
 terea defunctæ laudes non exquisito Orationis colore, sed tenui quo-
 dam peniculo tabulæ huic inscribentur, ut quam & qualem desideret
 matronam domus vidua, maritus lugeat uxorem, amici requirant a-
 micam, intelligant omnes, & sequiore animo nobiscum condole-
 scant. Nec enim propriis tantum, quanquam his potissimum, sed
 alienis etiam luculenter effulsit radiis, familiæ nimirum antiquissi-
 mæ & celeberrimæ nobilium à Campzen, hæredum in Gutow/Dra-
 row/Schwafsdorff & Sederow/ quæ non tantum viros militia insig-
 nes, sed etiam non sine memorabili, tametsi raro nobilitatis pris-
 cæ exemplo, Theologum præstantem HERMANNVM, decus & or-
 namentum gentis Campziæ, produxit. Hæc ortum præbuit no-
 bilissimæ matronæ circa annum Christi 1546. in Ducatu Megapo-
 litano, Patre viro strenuo, & virtutū ornamentis claro Dn. EVVAL-
 DO à Campzen, hærede in Gutow, &c. nobili matre D O R O-
 THEA à Krusifen/ quæ ut Iuliana & Proba Demetriaden virginem,
 ut Paula nobilis apud Romanos matrona Eustochium filiam: immò
 ut Lois & Eunice Timotheum quondam instituere: ita cum lacte
 statim primo Virtutum amore filiam imbuit, ad aviam nobilem à
 Dewitz, inde in cœnobium Malchoviense, vbi virginalis continen-
 tiæ & pietatis exempla coram intueretur, honorificè dimisit. Quod
 si fructum ex arbore, rivum ex fonte, sobolem etiam à genitore vul-
 gò dignoscimus: quis non generosam existimet fuisse indolem illi,
 quæ cum à nobili sanguine, tum à viva quadam pietatis scaturigine
 traducta est. Certè gloria hominis ex honore Patris: & juxta
 Tullium, magnam vim, magnam necessitatem, magnamq; possidet
 religionem paternus maternusq; sanguis: tametsi non rarò videas
 velut pisces in mari natos & educatos, salis tamen marini nihil quic-
 quam sapere, ita abesse nonnullos à majorum parentumq; virtutibus:
 • quas studiosè nostram quam commendamus, nobilem matronam, nõ
 modò expressisse, nec tantum adæquasse, sed etiam superasse certi-
 sumus. Postquam inter mortales desijt esse mater, quod factum anno
 Christi 72. 12. Decemb. Patri viduo cum sorore Magdalena nunc
 Henningi à Rostochs conjugem Oeconomicam fida o'ixs ad-
 ministravit. Patre etiam rebus humanis exento ad fratrem H E R-

MANNVM virū nobilem & reverendum, Neobrandenburgensium Ecclesiasten solertissimum concessit, lectionibus & colloquiis sacris plurimum delectata. Erat Hermannus, quem dixi, Patris aurgurio aulicis destinatus consiliis, qui cum Germaniæ, Galliæ, Italiæ Academias multo cum ingenio fructu perlustrasset, veramq; sibi comparasset sapientiam, non ad aulam sed ad Ecclesiam, non ad honores sed ad labores, non ad dominium, sed ad ministerium fidentius aspiravit, libentius transivit: fratribus reliquis maiorum exemplo castra secutus: Ludolpho quidem Vngarica & Dithmarsica: Euualdo Gallica: qui cum apud Ducem Condæum vixisset, monitu eius miserabilem, quæ Parisiis exorta est in nuptiis Henrici Borbonii regis Navarræi, lanienam mirabiliter evasit: Christophoro Gallica etiam, Belgica & Vngarica. Dum virgo nobilis fratris Theologi ædibus & conversatione piâ uteretur, multosq; nobilitatis germanæ juvenes probitas & venustas in amorem allexisset: Dei providentis cura & voluntate nulli potius, quàm Reverendo & Clarissimo viro Dn. D. ANDRÆ VVENCELIO, quæ cum virtus maiorū, quæ Imperatoribus in bellis grata fuit, tum professio sancta & excellens eruditio inter verè nobiles jam pridem computavit, jungi sacro voluit matrimonio, eiq; anno 82. Christo auspice desponsa est, ubi Dn. VVencelius ad Professionem historicam magna auditorum gratulatione vocaretur: nec recusavit à cognatis avelli, ad has Viadri ripas maritum sequi. Quasi verò nusquam ad natale solum reditura, fati quodam modo sui præfaga, Sandapilam secum advexit, ut mortis memoria versaretur ante oculos mortem despicientis, id quod sine superstitione, non sine illustrium exemplo factum ab ipsa rectè putabimus. Pietatem, modestiam, humilitatem, & sanctas matronæ huius virtutes multo prædicationis lumine exornare, est Solis lumen velle obscurare; non latuerunt omnes, quotquot non illa. Quando enim non in sacro visa est audientium cœtu; inter cantica & hymnos? in concionibus & Psalmodiis? quando non in pauperes munifica? erga omnes benefica? in quosvis non comis & affabilis? domi magistram quandam audiisses, & verbi cœlestis prædicatricem, ita filium, quem suscepit & reliquit unicum, ita neptem ex fratre, ita ancillas, ita universam familiam piis hortatibus stimulabat, concionum repetitioni

titioni

tionibus exercebat, orationibus accendebat, prælectionibus Catechismi & corporis Theologici, quod concinnavit Iudex, informabat ad labores & opera excitabat: vix passa aliquam inter famulas, nisi pietatis capita compræhendisset, & modestiæ studium suscepisset. In vestitu ut munditiem probabat, ita molliem recusabat, ut quæ interno potius animi, quàm externo vestium splendore mallet enitescere: & idcirco preciosiores quasq; ex holosericis non sine exemplo nobilium aliquot veterum, quas Patres mirè prædicant, partim casulis & Dalmaticis conficiendis, partim usibus amicorum, Brandenburgi destinavit, posito omni gemmarum auriq; ornatu; suscepto potiore illo Fidei, Spei, & Caritatis. Ecclesiæ Dratoviensi, ubi fratris Euualdi sedes est, ad sacros usus calicem inauratum cum patina, nec non egenis hic & illic ultra ducentes Vallenses legavit. Ita facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum: ita facile erogat non vilia, qui in cœlis expectat non exilia. Hymnis Davidicis istam animo suo lætitiæ conciliavit, ut ingruente tentationum adversitatumq; nimbo, nusquam tutius quàm ad commune illud promtuarium & Antidotarium Catholicæ confugeret: inter legendum ἐμφάσδε & pondera verborum subiinde observans & asteriscis notans: gemitus interdum affectusq; sinceros calamo assignans: quod αὐτοψία libri nobis abundè confirmatum. Ad Proangelos mortis, pertinaces nempe morbos non est exterrita: ut quæ ἀνάλυσις corporis gratam omnibus momentis exoptaret: de salute potius cum timore & tremore sollicita, quomodo superatis tentationum laqueis Christo propius jungeretur, studiosè cogitavit, viam sibi ad cœlos verbi cœlestis & sacræ Eucharistiæ usu frequentissimo communiens. Iamq; limen attigerat lechi, ubi ardentissimæ febris æstu depasta, alimoniam posceret de carne & sanguine Redemptoris, & ex myrothecio scripturarum spiritali manu fricaret fragrantissimi odoris thura, mariti præeuntis verba cupidissimo exciperet animo, & inter continua fermè deliquia vix spiritum trahens, verbi efficaciam & vim Spiritus sancti penetrantè paulò post sentire se affirmaret, inq; DEI laudes dolorum omnium & morbi velut oblita assurgeret: prima illa primo loco beneficia prædicans, quod ad imaginem DEI condita; quod sanguine Christi lota; quod domicilium Spiritus sancti

eti

Et habita, quod verbi utpote thesauri celestis quotidie particeps facta: quod filio donata: & quæ præterea ab astantibus proluxius percepta sunt. Quid multis? omnis ipsi sermo de mortuorum resurrectione, de vitæ alterius gaudio, postremus etiam & ἐγὼ δὲ iste fuit: CHRISTVS mihi vita, mors mihi lucrum: Cupio dissolvi & esse cum Christo: quo cum esse verè cœpit die 27 Novembris: & ut est hodie, ita erit in omnem & supra omnem ævitatem. Ex his omnibus intelligitis opinor, cur Reverendus Dn. Pastor tali se orbatum conjugè afflictim lugeat: quanquam iudicio meliore non nescit, gaudendum potius, quod talem habuerit, & pignoris loco in cœlum repositur, ubi coronam ipsi parat inmarcescibilem Brabeutes Supremus,

Quia verò vestrum est, ut Pastori, ut Doctore, ut Præceptore, ut Collegæ, ut amico, solatium quoddam afferatis: & prorsus ordo hic consolationis, ex monitione Gregorii Magni, ut studeamus prius mœrendo ejus luctui concordare: (Dolentem enim non potest consolari, qui non concordat dolori, quia ab eo ipso, quod à mœrentis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, cui nientis qualitate separatur: sed emolliri prius debet animus, ut afflicto congruat, congruens inhæreat, inhærens trahat: quæ verba adhuc præcipientis sunt Episcopi:) idcirco pia omnes συμπαθεία moti, affectum induetis congruum, & quem sponte vestra delaturi eratis, de nostra etiam monitione supremum mortalitatis honorem frequenti cœtu præstabit hodie matronæ tam piæ, tam sanctæ, ipsi quidem sempiternam in cœlis beatitudinem gratulaturi: Viduo autem clarissimo crucis lenitudinem vitæ longitudinem: vobis in ista ad cœlos via firmitudinem seriò precaturi.

G. P. D.